

## E P I S T O L A

mantium naturas, arborum, herbarum, metallorum & lapidum pretiosorum virtutes literarum monumentis prodidere, philosophorum nomen sibi vsurparunt, quid hi qui nō solum naturam, sed ipsius naturæ arcanum, eiusq; penitiora adyta sagacissime atque subtilissime penetrarunt, qui ipsos naturæ effectus, & eorum causas non tantum generales, sed etiam speciales. nec solum accidentarias, sed etiam essentielles conspexere, nonne veriori vocabulo Philosophi, imo Sapientes dicentur? Deinde cum omne quod est eximum & propter se, magis sit expetendum, quam quod est propter aliud, & per accidēs, ut vocant, hanc scientiam omnibus tam theoreticis quam practicis excepta vna Theologia, cuius est circa Dei diuinarumque rerum contemplationem versari, animaq; saluti prospicere, dicimus esse præstantiorem. Aliæ enim fere scientiæ vel artes non propter seipsas, scilicet propter inquisitionē veritatis quæ rei inhæret, sed propter extrarium scilicet propter aurum & argentum acquirendum addiscuntur: hæc autē propter seipsam cognoscitur, quia in ea est res interna aurum & argentum, & non externa,

terna,